THESES,

Quibus discrepantes doctorum Ecclesiæ opiniones,

DE DISTRIBVTIONE PRAECEPTORVM DECALOGI

IN DVAS TABVLAS, ET QVOT ad harum singulas præcepta referenda sint, ita explicantur,

Vt tria ad tabulam priorem, ad posteriorem septem conuenientius referri appareat.

IVSSV REVERENDI COLLEGII THEOLOGICI IN ACADEMIA LIPSENSI, vt de ijs quæratur ad diem Augusti XXIX. propositæ

A'

Iohanne Salmuth S. Theologiæ Lic. & verbi diuini in Eccle. Lipſ. Miniſtro.

1379
BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE

LIPSIAE,
ANNO M. D. LXXXIII.

I.

THESES DE DISTRIBVTIONE PRAECEPTORVM DECALOGI IN DVAS TABULAS, & quot ad harum singulas præcepta referenda sint.

I.

MAGNVM EST ET INenarrabile Dei beneficium, quod ex arcana luce prodiens, ad quam nulli hominum accessus patet, nobis sese patefecit, tradito verbo & illustribus testimonijs, vt rectè agnoscatur, & ritè celebretur, tùm in hac vita, tum in illa altera sempiterna.

II.

Duo sunt autem doctrinarum genera maximè illustria, Lex & Euangelium. Quæ vt in Ecclesia magno studio retinenda sunt, ne alterius amissio vel securitati vel desperationi fenestram aperiat: Ita accurata diligentia distinguenda sunt, ne eorundem confusio, fœdissimos errores pariat, & in extremum salutis discrimen mentes nostras inducat.

III.

Ad legem quod attinet, etsi ea appellatione non rarò integrum doctrinæ Christianæ corpus indicatur: Visitatius tamen est, pro altera saltem parte, quæ Euangelio opponitur, eam accipere, Quæ est doctrina à Deo tradita, ostendens quales nos esse oporteat, & quid Deus à nobis fieri & omitti velit.

IIII.

Hoc respectu Lex in Moralem, Ceremoniales, & Forenses diuiditur.

V.

Legis vox, de Morali seu decalogo intellecta, sæpe pro tota relatione vsurpatur. Exo. 24. Ve. 12. Ioh. 7. Ve. 19. Rom. 2. Ve. 13. & 18. Sæpè pro termino Rom. 7. Ve. 9. Gal. 2. Ve. 19. Sæpè pro illius parte altera, modò pro obœdientia seu gubernatione. Deut. 32. Ve. 10. Ioh. 7. Ve. 19. Rom. 8. Ve. 2. modò pro iudicio seu maledictione & obligatione ad pœnas, Rom. 6. Ve. 14. 1. Tim. 1. Ve. 9.

VI.

Estq; lex moralis æterna & immota sapientia & regula iustitiæ in Deo, discernens recta & non recta, & horribiliter irascens contumacibus, seu denuncians horrendam iram aduersus contumaciam, repugnantem huic ordini in Deo, et patefacta est hominibus in creatione, & postea sæpè repetita & declarata voce diuina, vt sciamus quòd sit Deus & qualis sit, obligans omnes creaturas rationales, & postulans vt omnes sint conformes Deo, & damnans ac destruens omnes non conformes Deo, nisi fiat remissio & reconciliatio propter filium Mediatorem.

VII.

Dupliciter autem legem moralem distribui constat, alio modo si obiectū: alio si partes & materia spectentur.

VIII.

I. Diuisio legis in duas tabulas.

Illius quidem ratione, in duas illa tabulas diuiditur. Quas testimonij & testamenti tabulas dictas, in sempiternum testimonium fœderis, quo inter Deum & populum Hebraicum conueniebat, ex cap. 31. Exod. Ve. 18. & Hebr. 9, Ve. 4. videre est.

IX.

Earum altera Dei, altera proximi dilectionem efflagitat. Autore distributionis illius ipso Deo, qui sententias decalogi suo digito scriptas in duas tabulas, Exod. 31. Ve. 18. Mosi tradidit, atq; postquam illæ confractæ sunt, Exo. 32. Ve. 19. iubentur reparari Exo. 34. Ve. 1. Deut. 10. Ve. 1.

quibus

quibus Deus reiteratam scripturam insculpsit. Et Christus legem vniuersam in duas tabulas distribuit, Matth. 22. Ve. 37 ex Deut. 6. Ve. 5. Id quod Iustinum Martyrem in colloquio cũ Tryphone, verbis succinctis & valde significantibus exposuisse, priore tabula θεοσέβειαν, posteriore δικαιοπραξίαν doceri, accepimus.

X.

Etsi enim triplex hominis ordo atq; respectus constituitur, secundum quem triplex ei amor, Dei scilicet, proximi, & sui ipsius iniungitur, vt hac consideratione tres tabulæ constituendæ fuisse videri possint: tamen succincta & concinna distributione lex ab ipso Deo in duas tabulas diuisa est. Quòd vt quidem inter Dei ac proximi, atq; inter Dei & nostrum amorem multum intersit: inter eum tamẽ quo proximum & nos ipsos complectimur, nihil discriminis intercedat, sed eadem, quæ in nos ipsos, etiam in proximum amoris affectio esse debeat. De qua quæstione August. lib. 1. de doctr. Christ. cap. 26. erudite disputat.

XI.

Neq; verò quoniam dilectio Dei omnibus creaturis præferenda est, prima tabula alteram ita antecellit, vt hæc in minori æstimatione propterea habenda sit. Quin vtriusq; tabulæ æqualitas, in tribus gradibus consistit, in caussa efficiente, in necessitate, & in finali caussa. Eadem enim diuina mens est, quæ sanxit hunc ordinem in vtraq; tabula: Et obligatio in vtraq; similis est eò, quod nullius creaturæ autoritate mutari potest: Et idem, licet subordinatè, vtriusq; finis est, quod proximi quoq; dilectio ad Deum referri debeat, licet Deus, immediatè propter se amandus sit. Hinc prior tabula primi & magni mandati, altera secundi dicitur, Et tamen secundum primo simile ab ipso Christo, Matth. 22. Ve. 39. pronunciatur.

XII.

Sed cur Saxeis tabulis lex inscripta fuit? Vt nimirum constaret, æternam & immotam esse hanc doctrinam,

quæ nulla vetuſtate aboleri poſsit : Et vt durities cordis humani Saxea notaretur, quæ niſi ſancti Spiritus vi & efficacia emollita fuerit, flecti nullo modo queat.

XIII.

II. Diuiſio legis in decem præcepta.

Partium ſeu materiæ reſpectu, Lex Moſis in decem præcepta diſtribuitur. Quem numerum perfectionis eſſe, & Deo familiarem Philo multis exemplis in medium productis, libro de congreſſu quærendo eruditionis gratia, probat, oſtendens numerum denarium in ſcripturis, vt idoneum ad omnia, tàm ad honorem, quàm ad pœnam, tàm ad laudem, quàm ad vituperium, frequenter vſurpari. Auguſtinus quoq; hunc numerum perfectionis eſſe aſſerit, eumq; hanc ob cauſam præceptis decalogi aſsignatum Beda cenſet, in cap. 20. Exod. vt in plenitudine numeri plenitudo mandatorum conſtituatur. Alibi Auguſt. hunc numerum Iuſticiæ eſſe autor eſt. Et in lib. de conuenientia decem præceptorum & decem plagarum, præcepta decalogi ad decem Aegyptiacas plagas accommodat. In lib. autem de decem chordis cap. 5. Baſilium in enarrat. Pſalm. xxxii. ſecutus, Regium Prophetam per decem chordarum Pſalterium ad decalogum alluſiſſe, cenſet. Chryſoſtomus verò hom. 52. in opere imperfecto Matth. numerum præceptorum Decalogi allegoricè ad decẽ virgines accommodat, Et hom. 49. ad decem menſes, quib. fœtus humani in vtero materno formatio abſoluitur, oſtẽdens, hominem in vtero Eccleſiæ conceptum, præceptis decem, & cæteris pietatis capitibus formari, donec in Baptiſmo partu editus, lacte verbi diuini nutriatur.

XIIII.

Etſi autem de numero denario ita inter omnes conuenit, vt nemo vſquam extiterit, qui vel pauciora vel plura eſſe affirmaret. Id quod & Δεκάλογε nomen oſtendit, & Moſes ipſe, Exod. 34. Ve. 28. & Deut. 4. Ve. 13. & 10. Ve. 4. vbi decem verborum, quæ δέκα λόγοι græcis ſunt, expreſſa mentio fit: Tamen quot ex decem illis præceptis ad primam tabulam, quot ad ſecundam pertineãt, de eo ſcilicet non

non modò inter neotericos, sed veteres etiam Ecclesiæ doctores controuertitur, Alijs ad primam tabulam quinq; & totidem ad secundam: alijs ad primam quatuor, ad secundam sex: alijs deniq; tria ad illam, ad hanc septem referentibus. De quibus singulis, & vtra ex illis sententia verior sit, deinceps videamus.

XV.

I. Opinio de numero quinario.

Iosephus igitur lib. 3. Antiq. Iud. cap. 4. in singulis tabulis quinq; præcepta scripta fuisse ait. Et Philo Iudæus lib. de decalogo: Decem, inquit, præcepta Deus in duos quinarios, quos quidem in duabus tabulis insculpebat, " scite dispertiuit. Prior quinarius est eius generis. De Mo- " narchia præcipit, qua mundus vniuersus gubernatur: de " signis & simulachris, & omninò de statuis, quæ manu fiunt: " de Dei nomine non in vanum accipiendo: de septimo die " augustè & sanctè celebrando: de honore erga parentes, " cùm in alterutrum priuatim, tùm communiter in vtrunq;. " Posterior quinarius ea quæ stupra, cædem, furtum, falsa " testimonia, & cupiditates vetant, continet. Quibus Chryso. " astipulatur hom. 52. in 24. cap. Matth. vbi parabolam de decem virginibus exponens, ita eam ad præceptorum Dei decuriam accommodat, vt quinq; in prima tabula, quinq; in secunda scripta pronunciet.

XVI.

Ratio.

Inter hos tamen vnus Philo, loco citato rationem, cur præcepto de parentibus honorandis, in prima tabula, quæ de sacratissimis rebus ad Deum spectantibus agit, locus assignetur, in medium adducit, sumtam à procreandi similitudine, quæ parentibus cum Deo vniuersitatis procreatore, communis sit. Hinc concludit, conueniens esse, vt sicut Deus vniuersitatis rerum pater ac fabricator primæ tabulæ principium occupat: ita eiusdem tabulæ finem occupare parentes, quod liberos procreando, Dei naturam imitentur. Atq; vt ille mundi Deus est: ita parentes eorum, quos procrearunt, Deos esse, asserit. Quæ ratio à simili ducta quàm infirma sit, nemini obscurum esse potest, id quod ex sequentibus patebit.

Longè

XVII.

Refutatio. Longè itaq; verior testis ipse Christus est, qui æterni patris λόγος & orator, voce sua legem promulgauit, eamq;, contra Pharisaicas corruptelas, concinnam decalogi in duas tabulas distributionem, quæ Deut. 6. Ve 5. extat, secutus, ita enarrauit, vt primum mandatum illud esse doceret, quod dilectionem Dei ex toto corde, tota anima, tota mente, & omnibus viribus requirit, secundum alteri simile, quod dilectionem proximi efflagitat. Per primum mandatum, primam: per secundum secundam tabulam intelligens. Matth. 22. Ve. 37. Marc. 12. Ve. 30. & Luc. 10. Ve. 27. Ex quo manifestum fit, secundam tabulam à præcepto de honorandis parentibus ordiri, quòd absq; omni dubitatione ad proximi dilectionem illud pertineat. Iosephum verò singulis tabulis quina capita assignando, grauiter allucinari, atq; religionis & charitatis distinctionem, à Christo magno studio obseruatam, ex communi suæ ætatis consensu, confundere.

XVIII.

Idem Christus Matth. 19. Ve. 19. præcepta secundæ tabulæ de dilectione proximi recensens, hoc præceptum de honorandis parentibus simul enumerat, atq; secundæ tabulæ illud adscribit.

XIX.

Quin etiam Paulum audiamus, electum illud Dei organum, & magnum gentium doctorem. Is igitur Ephes. 6. Ve. 2. præceptum de honorandis parentibus, primum esse affirmat, quod promissionem annexam habeat. Quæ quidem Pauli oratio locum habere nullo modo poterit, nisi dixerimus, eum de primo præcepto secundæ tabulæ loqui, cum constet, primæ tabulæ præcepto primo, vt grauissimam comminationem, ita dulcissimam promissionem annexam esse. Quomodo enim, inquit August. lib quæst. & resp. vet. & no. Testa. 4. 7. esset hoc primum mandatũ, nisi in secunda tabula ab ipso Apostolus cepisset?

Et Beda

XX.

Et Beda Venerabilis dictus, in 20. cap. Exod. ad Philonis argumentum κατὰ βίαον, vt in scholis loquuntur, respondens, Secunda, inquit, tabula ab amore parentum incipit, à quibus in hac vita sumimus exordium. Atq; huc cæterorum patrum Orthodoxorum sententiæ referendæ essent, nisi nimis longum foret.

XXI.

His ita constitutis, non esse quinque primæ tabulæ præcepta: Deinceps de eo agemus, rectiusne quatuor, num verò tria numeranda sint. II. Opinio de numero quaternario.

XXII.

Qui igitur quatuor tabulæ primæ capita assignant, neq; illi etiam inter se consentiunt, sed in quinq; classibus constituti sunt.

XXIII.

Alij enim pro primo capite hæc verba agnoscunt. I. Classis. Ego sum Dominus Deus tuus, &c. Et pro secundo: Non habebis Deos alienos coram me. Et pro tertio: Non facies tibi sculptile. Et pro quarto: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Præceptum autem de Sanctificatione Sabbathi planè omittunt.

XXIIII.

Huius opinionis Hesychius autor est, quem Trithemius Esytium appellat, & Gregorij Nassianseni discipulum & Presbyterum Hierosolymis fuisse, atq; sub annũ Christi quadringentesimum vixisse testatum reliquit. Is igitur lib. 7. in 26. cap. Leuit. hæc verba: Decem Mulieres in vno clibano coquent panes, & reddent eos ad pondus &c. exponens, etsi contra Iudæos rectè disputat, ceremonias Mosaicas abrogatas esse; In eo tamen minus commodè sentit & loquitur, quod verbis disertis, nulla restrictione adhibita, Mandatum de Sabbatho, quamuis decem man-

 datis

datis insertum sit, non tamen ex ijs esse, affirmat. Cùm hoc dicere voluisse videatur, præceptum de Sabbato, in quantum Ceremoniale sit, abrogatum esse.

XXV.

Sed ne autori huic iniuriam facere videamur, verba ipsius bona fide recitabimus, quæ in hunc modum loco
,, citato extant: Nihil habent Iudæi, quod doctrinam vires
,, habere nutriendi faciat, exceptis decem præceptis. Quia
,, veram prophetarum expositionem, vtpote concordan-
,, tem saluatoris nostri dispensationi fugiunt. Reliqua au-
,, tem legis nolunt intelligibiliter accipere, nec spiritualiter
,, suscipere: Sed secundum literam solam, quod stare non po-
,, test. Primùm quia locus destructus est, in quo erant sacrifi-
,, cia, & mundationes, & oblationes, & reliqua, quæ pertinẽt
,, ad seruitutem literæ: Deinde multa in eis erunt, non tàm
,, studio, quàm risu digna, sicut ea quæ sunt de lepra parietũ,
,, trabium, vestium, non arare cum boue & asino, & similia,
,, quæ legalibus traditionibus continentur. Decem autem
,, mandatorum litera clara est, digna ad custodiendum atq;
,, operandum. Nec contrarium est Sabbati mandatum,
,, quia etsi decem mandatis insertum est, non tamen ex eis
,, est. Si ergò mandatum speciale ponamus: Ego sum Do-
,, minus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo
,, seruitutis, perfectum decem mandatorum numerum in-
,, ueniemus. Dehinc apertè requiem intelligibilẽ significat,
,, in qua nullum opus huius mundi licet nos agere. Hæc er-
,, gò sola panem operantur populo Iudæorum, in clibano
,, vno, legali videlicet, & reddunt eos ad pondus supradi-
,, ctos panes, id est, ad sensibilem districtionem &c. Ha-
ctenus ille. Quæ in eandem sententiam, verbis nonnihil mutatis, non etiam nulla ex parte dilucidioribus, (vt quod pro intelligibili, spirituale reponit, & alia plura,) à glossa ordinaria, in 26. cap. Leuit. citata repetiuntur.

XXVI.

1. Class. Alij primi præcepti vice, proœmij verba statuunt, sine præcepto: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi-
te de

te de terra Aegypti, de domo seruitutis. Secundum præceptum hoc esse volunt: Non habebis Deos alienos coram me. Et: Non facies tibi sculptile, neq; simulachrum &c. Tertium: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Et quartum: Memento, vt diem Sabbati sanctifices.

XXVII.

Hanc distributionem Abenezra retinet, in comment. quo decem legis verba exponuntur. Et distinctionis istius caussam hanc adducit: Quoniam multi in Deum credant, sacrificantes interim & suffumigantes cultui extraneo siue idolis, vt illi, qui θυμίαμα offerunt Reginæ seu machinæ cœli, Ierem. 7. Ve. 18. & 44. Ve. 18. putantes quod benè facere suis cultoribus posset. Et Naaman, cum adorauero, inquit, in domo Rimmon. 4. Reg. 5. Ver. 18. Istos ait Abenezra confiteri Deum, sed miscere cum eo alium, & ostendit ad eorum sceleratam malitiam compescendam, Deum ita præcepta priora decalogi distribuisse, vt primo verum cultum sibi præstari vellet, altero Idolatriam omnem prohiberet.

XXVIII.

Et Lyra in cap. 20. Exod. Hebræis eam distributionem vsitatam fuisse testatur, & rationem Abenezræ verbis nonnihil dilucidioribus subiungit: In primo affirmatiuè præcipi, Illum habendum pro vero Deo, qui filios Israel de Aegypto tot mirabilibus signis eduxerit: Secundo autem negatiuè prohiberi, ne cultus λατρείας alteri impendatur.

XXIX.

Iulianus quoq; singula mandata suis verbis, prout Moses illa à Deo conscripta esse pronunciârit, recitaturus, eandem distinctionem retinet, apud Cyrillum sub initium quinti libri contra illum Apostatam. Ob quam distinctionem ne vno quidem verbo à Cyrillo ille notatus deprehenditur.

XXX.

3. Classis. Alij in hunc modũ primæ tabulæ præcepta recitant, vt primum sit: Ego sum Dominus Deus tuus. Secundum: Non facies tibi sculptile &c. Tertium: Non vsurpabis nomen &c. Quartum: Memento &c. planè omisso hoc præcepto: non habebis Deos alienos coram me. Quæ opinio Athanasij est, & extat in Synopsi diuinæ scripturæ, cap. de Exodo.

XXXI.

4. Classis. Rursus alij, pro primo præcepto agnoscunt hæc verba: Ego sum Dominus Deus tuus. Pro secundo hæc: Non erunt tibi Dij alij absq; me. Pro tertio ista: Non assumes &c. Et hæc pro quarto: Memento &c. Omisso præcepto de sculptilibus & simulachris. Hæc extat apud Hieron. in 10. cap. Oseæ. Et ad eundem modum intelligendus est locus eiusdem autoris in 6. cap. ad Ephes. Vbi secundam tabulam sex præcepta continere affirmat.

XXXII.

5. Classis. Sunt denicq; qui hæc verba: Ego sum Dominus Deus tuus &c. non pro præcepto agnoscunt, sed proœmij loco (& rectè quidem) habent. Non enim sermo iste mandati est, sed quoddam veluti præambulum ad præcepta, quo indicatur, quis sit, qui mandat, vt Origines homi. 8. in. Exod. Itemq; Lyra, Glossa interlinearis, & P. Burgensis in 20. cap. Exodi annotarunt. In quem modum Iustinus Martyr libro quæst. & responsion. ad Orthod. quæst. 92. ἐντολὰς καὶ προσάγματα definit esse λόγους ἐνταλτικοὺς ἢ προσακτικοὺς λεχθέντας. Illi igitur verba hæc, proœmij vice numerant, siue ea recitationi cæterorum omnium præceptorum præmittant, siue ea coniungant cum primo: Non habebis Deos alienos coram me. Secundo loco hoc numerant: Non facies tibi sculptile &c. Et istud tertio: Non assumes &c. Et istud quarto: Memento &c.

XXXIII.

Cum

Cum his facere ex veteribus magni nominis auto- 1. Autoritates.
res, non debet necq etiam potest negari, siue Hebræi, siue Græci, siue denicq Latini spectentur.

XXXIIII.

Inter Hæbræos Iosephus lib. 3. Antiq. Iud. cap. 4. vbi datæ à Mose legis historiam pertexit, in hunc modum decalogi præcepta digessit, vt præceptum de non formando sculptili, à primo necessariò distinguendum esse censeat. Præcepta inquit, quæ Moses duabus tabulis inscripta reliquit, non est nobis fas totidem verbis euulgare, sententias tantum eorum insinuabimus. Docet enim nos primum præceptum: Deum esse vnum, & hunc solum colendum. Secundum: Nullius animalis simulachrum faciendum & adorandum. Tertium: Non temerè per Deum iurandum. Quartum: Septimi diei ferias nullo opere profanandas. Quintum: Parentes honorandos. Sextum: A cæde abstinendum. Septimum: Non adulterandum. Octauum: Non committendum furtum. Nonum: Non dicendum falsum testimonium. Decimum: Nihil alienum concupiscendum. Hanc Philonis quoq; mentem esse, ex superioribus ipsius verbis colligi potest. Quamuis dissimulandum non sit, si quis rem accuratius expendat, nondum satis liquere, quæ verba Decalogi ad primum, quæ ad secundum præceptum, à Iosepho & Philone, quorum dicta citauimus, referantur.

XXXV.

Origenes Homil. 8. in Exod. Clementem Alexandrinum (vt puto) perstringens, Illi enim in Ecclesiá Alexandrina, tradendis ijs, quæ ad doctrinam catecheticam pertinent, successit, vt autor est Euseb. lib. 6. Eccles. histo. cap. 3. Hic igitur verbis disertis inter hæc præcepta de nõ habendis dijs alienis, & de non formando sculptili distinguendum esse docet, alioquin si pro vno, illa coniunctim accipiantur (quod ante se quosdam seciste ait) decem mandatorum numerum nõ compleri, neq; decalogi

veritatem constare posse. Est ergò, inquit ille, primum mandatum: Non erunt tibi Dij alij præter me. Secundum verò: Non facies tibi idolum, neq; vllam similitudinem.

XXXVI.

Chrysost. in imperfecto opere super 24. cap. Matth. homil. 49. Eandem distinctionem amplectitur. Verba il-
,, lius sunt: Legis iustitia prima & salutaris decem habet
,, mandata, quasi menses decem. Primum: Cognoscere
,, vnum Deum. Secundum: Abstinere ab Idolis. Tertium:
,, Non periurare. Quartum: Colere Sabbatum spirituale.
,, Quintum: Honorare patrem & matrem. Sextum: à cæde
,, abstinendum. Septimum: Non adulterandum. Octauum:
,, non committendum furtum. Nonum: Non dicendum
,, falsum testimonium. Decimum: Nihil alienum concupi-
,, scendum. De quo tamen Chrysostomi scripto, num autoris huius genuinũ sit, à multis dubitari video, neq; etiam quæ decalogi verba ad primum, quæ ad secundum præceptum referat, ex ipso satis perspicuè colligi potest, quoniam Idola (quæ tamen ad primum pertinent) secundo præcepto prohiberi statuit.

XXXVII.

Itemq; Nassians. in Carmine de Mosis decalogo.

Τὺς δὲ νόμυς ἐχάραξε θεὸς δέκα ἔν ποτε πλαξὶ
Λαϊνέαις, σὺ δέ μοι ἔγγραφε σῇ κραδίῃ.
Οὐ γνώσῃ θεὸν ἄλλον, ἐπεὶ σέβας ὅιον ἐνόςγε.
Οὐ ςήσεις ἴνδαλμα κενὸν, καὶ ἄπνοον εἰκώ.
Οὔποτε μαψιδίως μνήσῃ μεγάλοιο θεοῖο.
Σάββατα πάντα φύλασσε μετάρσια καὶ σκιόεντα.
Ολβιος ἣν τοκέεσσι φέρῃς χάριν, ἣν ἐπέοικε.
Φεύγειν ἀνδροφόνον παλάμης ἄγος, ἀλλοτρίηστε
Ευνῆς, κλεπτοσύνηντε κακόφρονα, μαρτυρίηντε
Ψευδῆ, ἀλλοτρίωντε πόθον, σπινθῆρα μόροιο.

XXXVIII.

Et Ioh. Zonaras quoq; to. 1. annal. seu histor. By-
,, zant. in hunc modum præcepta legis distribuit: Decalogi
,, primum præceptum, vnum esse Deum affirmat, eumq; solum co-

lum colendum. Alterum : Nullius animantis imaginem faciendam & adorandam esse. Tertium : Per Dei nomen ob nullam rem inanem esse iurandum. Quartum : Diem septimum obseruandum, atq; in illo omni opere abstinendum. Quintum : Parentes honorandos. Sextum : Cæde abstinendum : Septimum : Non adulterandum. Octauum : Non furandum. Nonum : Non dicendum esse falsum testimonium. Decimum : Nihil alienum concupiscendũ esse.

XXXIX.

Ex latinis scriptorib. Orthodoxis, Ambrosius in expositione 6 cap. ad Ephes. vbi Apostolus quartum præceptũ de honorandis parentibus primum in promissione vocat, in hunc modum decalogum partitur, vt primæ tabulæ, quæ immediatè cum Deo agit, quatuor, secundæ, quæ immediatè ad homines spectat, sex præcepta assignet. Quomodo, inquit, hoc primum mandatum dixit? cum constet primum mandatum ita contineri : Non sint tibi alij Dij præter me. Deinde : Non facies tibi similitudinem vllam, quæ sunt in cœlo sursum, & in terra deorsum. Tertium : Non sumes nomen Domini Dei tui in vanum. Quartum : obseruabis inquit, Sabbata mea. Quintum autem : Honora patrem & matrem &c. Sed quia prima quatuor mandata ad Deum pertinent, hæc in prima tabula contineri subintelliguntur. Cætera ad hominem : Vt honoret parentes, non occidat, non fornicetur, non furetur, non falsum testimonium dicat, neq; quicquam proximi sui concupiscat. Hæc sex mandata, in secunda tabula videntur scripta, quorum primum est : Honora patrem &c. Hæc ille.

XL.

Et August. lib. 3. contra duas Epist. Pelagian. ad Bonifac. cap. 4. ad eundem modum distributa præcepta decalogi recitat. Et libro quæst. Vet & Nou. Testam, quæst. 7. his verbis eandem opinionem proponit : Decem sententias, decem verba appellauit. Deniq; dicit : Non sint tibi Dij alij præter me. Primum verbum hoc est. Et subiecit secundum : Non facies tibi vllam similitudinem. Deinde adiecit tertium : Non sumes nomen Dei tui in vanum. Dehinc quarto loco dicit : Sabbatum

Domini

,, Domini Dei tui seruabis. Hæc quatuor verba sunt de de-
,, cem, ista ad Deum propriè pertinent. Hæc sunt in prima
,, tabula scripta. Deinde in secunda tabula continentur.
,, Primum verbum est: Honora patrem & matrem tuam.
,, Secundum: Non occides. Tertium: Non fornicaberis.
,, Quartum: Non furaberis. Quintum: Non falsum testi-
,, monium dices. Sextum: Non concupisces quicquam
,, proximi tui.

XLI.

His autoritatibus adducti antagonistæ nostri, quo nomine μνημομάχους siue Sacramentarios intelligimus, vt manifestos sese nostrarũ id est puriorũ Ecclesiarum hostes esse probarent, quemadmodum in multis alijs doctrinæ Christianæ capitibus, ab vsitata doctrina recesserunt: ita & in decalogo distinguendo, ea, quæ tum recepta erat, distributione repudiata, aliam diuersam, (quemadmodum & in petitionum dominicæ orationis numero factum ab ipsis est,) denuò introduxerunt.

XLII.

II. Rationes. Sed & rationes eorum, quibus hanc decalogi distinctionem probare nituntur, operæ precium est considerare.

I. Ratio. Hanc igitur præceptorum decem distinctionem, inquiunt, qua primæ tabulæ quatuor, secundæ sex tribuuntur, Iudæis in docenda & explicanda lege vsitatam fuisse, Lyra testatur. Quam tamen ob causam, nusquam vel à Christo, vel à discipulis reprehensi leguntur, cum reliqua à Pharisæis legi diuinæ afficta vel non rectè ab illis explicata, apertè reprehendantur.

XLIII.

Resp. Hoc qui inde elici posse censent, meminerint, quod idem Lyra testatur, verba illa proœmij: Ego sum Dominus Deus tuus &c. loco præcepti à Iudæis habita, cum tamen rèuera non sint, neq; tamen in illis hoc à Christo, vt aliquid cum lege pugnans notatum. Cui propositum saltem fuit crassos illos & genuinum legis sensum euertentes Pharisæorum errores refutare, neq; multum de cæteris laborare,

laborare, dummodo verus legis intellectus maneret saluus & incorruptus.

XLIIII.

At violatarum tabularum legis nos reos accusant. 2. Ratio.
Magnum verò & detestandum scelus hoc, nos autem impios & prophanos, si res ita se habeat. Quid igitur? Scimus, Dei beneficio, nullum iota aut apicem ex lege præteriturum, donec omnia impleta fuerint, Eumq; qui vnum ex minimis mandatis soluerit, & homines sic docuerit, minimum in cælorum regno vocatum iri, pronunciante hæc totidem verbis ipso Christo Matth. 5. Ve. 19. Huius grauissi. dicti memores, cum quo & illa consentiunt, Deut. 4. Ve. 2. & 5. Ve. 32. & 12. Ve. 32. Ios 1. Ver. 7. Prouerb. 30. Ver. 6. Et Apoc. 22. Ver. 19. quibus verbo Dei nihil addere, nihil quoq; demere iubemur, nequaquam hoc, quod de sculptilibus docet, omittimus, sed primi illud appendicem esse & expositionem dicimus, vt & cætera κατ' ἐπιτομὴν contracta, rudioribus pio & simplici studio proponimus. Resp.

XLV.

Addunt quoq; Exod. 20. Ver. 17. & Deut. 5. Ver. 21. in fontibus Hebræis sub vna distinctione vtrunq; mandatum de non concupiscendo comprehendi, nulla notabili incisura, quæ discrimen arguat, accedente. Præceptum autem de sculptilibus non fingendis, ab eo quod de cultu Dei vnius antecedit, clare seiungi, simul nouo verbo adhibito & nota vsitata, qua periodus noua discerni solet. Ideo & septuaginta interpretes eâdem via ingressos, periodos exemplo Hebræorum dissecuisse aiunt. 3. Ratio.

XLVI.

Etsi autem quæ à distinguendi notis sumitur ratio, infirmior videri poterat: Tamen certum est, si illa duo puncta: (quã incisuræ notam Hebræi Soph Pasuk vel Silluck vocant) tot præcepta constituerent, quoties in Hebraico textu ad finem versiculi, posita reperiuntur, non decem Resp.

tantum, sed multò plura numeranda esse. Non oportet itaq; secundùm istam incisuram præceptorum finem metiri. Quid? quod duo sæpenumero præcepta in vno vetsiculo per א Atnachta, pro quo nos comma ponimus, à se inuicem discerni possunt? Vt Psal. 2. Ver. 11. Seruite Domino in timore א & exultate ei cũ tremore. Et Psal. 34. Ve. 15. Desiste à malo & fac bonum א inquire pacem & persequere eam. Præterea litera ס quæ principij in singulis præceptis nota est, Deut. 5. Ver. 21 additur, & nonum ac decimum præceptum á se inuicem distinguit.

XLVII.

4. Ratio. Vt tamen, inquiunt, primum præceptum, de non habendis dijs alienis, & de non fingendis sculptilibus, non simpliciter vnum, sed in duo distinguendum est, ita quidem vt illud de interno, hoc de externo Dei cultu agat:

5. Ratio. Sic duo postrema præcepta verè sunt vnum, & hominibus concupiscentiam interdicunt, vt non externam modò, sed etiam interiorem obœdientiam atq; omnium virium cum lege conformitatem à Deo requiri intelligatur.

XLVIII.

Resp. ad 4. ratio. Ad prius quod attinet, negamus, immò pernegamus hoc discrimen inter præceptum de non habendis Dijs alienis: & alterum de non fingendis sculptilibus consistere posse, quasi illud de interno Dei cultu, hoc saltem de externo agat. Neq; enim verbis posterioribus externus tantummodò Idolorum cultus, (qui corporis gestibus fit) sed internus quoq; (qui mentis est) prohibetur, Cum ex duplici natura anima & corpore compositi simus. Vt igitur prius verbum תִּשְׁתַּחֲוֶה vetat, ne quis coram Idolis, religionis ergò se prosternat aut incuruet, pro quo septuaginta προσκυνήσεις voce vtuntur, qua humilis & abiectæ venerationis gestus significatur, ad pedes alterius sese abijcientis, qui canum adulantiũ mos est, vnde Græcum ductum putatur: Ita posterius תַּעַבְדֵם mentis venera tionem prohibet, quæ λατρεία Græcis est, & de famulatu Dei atq; religioso seruitio, quod Ministri veluti mancipia, domino suo præstant, vsurpatur. Vnde intelligitur interpum.

ternum quoq; non externum tantum Idolorum cultum, ijs verbis, quæ de sculptilibus loquuntur, prohiberi. Ad alterum ipsorum argumentum infrà respondebimus, vbi horum præceptorum distinctionem, satis perspicuè confirmabimus. Resp. ad 5. ratio.

XLIX.

Quod autem Deut 5. Ver. 21. præceptum de non concupiscenda vxore, alteri de non concupiscenda domo præponitur, Exod. 20. Ver. 17. postponitur, vt vtrum ex his nonum vel decimum esse debeat, sciri non possit: In eo nihil est momenti. Quia exacti ordinis cura isthic non habetur. Et Christus ipse Matth. 19. Ver. 19. cæteris secundæ tabulæ præceptis quartum postponit Quem secutus Tertull. lib. aduersus Iudæos, eandem seriem obseruat, ita tamen vt sub finem, præceptum de non concupiscendo, à Christo omissum, subiungat. Paulus Rom. 13. Ve. 9. quinto præcepto, de non occidendo, sextum, quo adulteriũ prohibetur, præponit, Eumq; secutus Philo in explicat. decalogi. Et Clemens lib. 6. στρωμ. Et Iulianus apud Cyril. lib. 5. contra illum Apostatam. Et Chrysost. Homil. 49. in 24. cap. Matth. Et August. lib. 3. contra duas Epist. Pelag. ad Bonifac. cap. 4. Et Epist. 119. itemq; lib. 2. ad inquisit. Ianuar. cap. 12. & lib. de conuenientia X. præcept. & X. plagarum, & lib. de X. chordis cap. 6. & lib. 15. contra Faust. cap. 7. Itemq; Beda & alij. Ita septimũ quoq; Præceptum de furto, priore loco, sextum de adulterio loco posteriore, in Epistola ad Rom. cap. 2. Ver. 21. & apud Cyrillum loco citato, non seruata exacta ordinis ratione, recensseri deprehendimus. Neq; tamen propter hanc numerandi diuersitatem, vtrum ex istis quartum, quintum, sextum, vel septimum locum obtineat, dubitandum censemus. Resp. 5. Ratio.

L.

Sed & Paulum producunt, qui Rom. 13. Ver. 9. posteriora quinq; decalogi præcepta enumerans, non bis, sed semel tantum concupiscentiæ mentionem facit, & quidem sine adiectione vel vxoris vel domus nostri proximi, 7. Ratio.

quod sciret, vnam tantum esse concupiscentiam, qua res etiam diuersissimas concupiscere possumus. Ad eundem modum, inquiunt, Rom. 7. Ver. 7. Apostolus iterum semel concupiscentiæ meminit, idq; his verbis: Nisi lex dixisset, Non concupisces.

LI.

Resp. Atqui Paulinæ disputationis scopus luculentè ostēdit, nequaquam hoc propositum esse Apostolo, quod integrā omnium præceptorum decalogi enumerationem instituere vellet. Id quod ipse omissione primæ tabulæ,& primi præcepti in tabula secunda planum facit. In quo illi non animaduertunt, si sufficientem præceptorum secundæ tabulæ enumerationem ab Apostolo institutam esse, concedatur: Hoc necessariò concludi, præceptum de honorandis parentibus, priori tabulæ à Paulo attribui, atq; ita singulis tabulis quina præcepta assignari, Quem Iosephi errorem supra abundè refutatum, non dubitamus.

LII.

Neq; verò etiam posteriore loco, ex cap. 7. Ver. 7. ad Roma. adducto, Apostolo propositum est, de numero agere præceptorum, quibus concupiscentia prohibetur, sed hoc saltem docet, se ex lege cognouisse, etiam concupiscentiam cordis, non externa saltem dicta & facta, peccatum esse. Ita autem collectio procederet, si ostendi posset, à Paulo hoc affirmari: TANTVM SEMEL in lege prohiberi, Non concupisces. Id quod probandum illis scilicet, non sicco pede prætercundum erat.

LIII.

8. Ratio. Etsi deniq; plurimi tàm ex veteribus, quàm neotericis, præcepta decalogi exponentes, nonum & decimū coniungunt, & ceu vnum præceptum, vna enarratione explicant:

Resp. tamen inter explicandū ita ea distinguunt, vt duo illa esse, non vnū appareat, quemadmodū ex sequentibus patebit.

LIIII.

III. Opinio de numero Ternario. Postquā igitur hactenus de eorū opinionibus egimus qui partim quinq; priori tabulæ, & totidē posteriori: partim illi quatuor, huic verò sex præcepta assignant: Deinceps

ceps (quam tertio loco considerandam proposuimus) sententiam videamus nostrarum Ecclesiarum, quæ tria primæ, septem secundæ tabulæ præcepta esse profitentur: Et primi appendicem esse statuunt hoc, quod de sculptilibus docet, vberioris explicationis & declarationis causſa primo præcepto additum: Comminationem autem & promissionem in genere, ad omnia præcepta referunt: Denicq; ea verba quæ de concupiscentia loquuntur, duo esse distincta præcepta, docent.

LV.

Constat autem ex Origenis suprà adducto testimonio, eo tempore nequaquam inusitatam & Ecclesiæ incognitam fuisse hanc præceptorum distinctionem, sed ante ipsum fuisse aliquos, qui ex his præceptis de Dijs alienis, & de sculptilibus, vnum facerent. I. Autoritates.

LVI.

Idem & de Abenezra constat, & Lyra de Hebræis testatur. Atq; apud Cyrillum illa duo præcepta ceu vnum coniuncta extare, supra commemorauimus.

LVII.

Accedit Athanasij & Hieronymi autoritas. Vt enim ille, præceptū de non habendis Dijs alienis omisit, alterius de non fingendis sculptilibus recitatione contentus, quod sciret, posteriore prioris explicationem comprehensam esse: Ita hic, vice versa, præcepti de non habendis Dijs alienis commemoratione contentus, alterum de non formandis sculptilibus omisit, quòd & ipse posterius hoc illius prioris ἐξήγησιν quidem esse, non autem à priore distinctum præceptum, intelligeret.

LVIII.

Sed ad eos veniamus, qui ex professo tria saltem præcepta primæ, septem secundæ attribuunt. Clemens ille Alexandrinus Catecheta, qui circa annum Christi ducentesimum claruit, lib. 6. στρωμ. Præcepta primæ tabulæ in

,, hunc modum distribuit, quod primum ostendat vnum
,, solum esse Deum omnipotentem, qui populum ex Ae-
,, gypto eduxit, & iubeat à genitorum idolatria abstinere,
,, & omnem spem in Deo collocare. Secundum sit, de non
,, assumendo in vanum nomine Domini. Tertium de requie
,, seu Sabbato.

LIX.

Augustinus Epist. 119. & lib. 2. ad inquisit. Ianuar. cap. 11. & 12. disertis verbis tria prima decalogi præcepta ad Deum, cætera septem ad proximum pertinere affirmat. Et lib. de decem chordis cap. 5. & 6. tres chordas ad primum & magnum mandatum de dilectione Dei: Septem verò ad alterum de diligendo proximo refert. Eâdem via ingreditur lib. de conuenientia X. præceptorum & X. plagarum Aegyptiarum. Et lib. 15. contra Faustum cap. 7. vbi sufficiente singulorum præceptorum enumeratione instituta, Faustum nullum ex ijs obseruasse, ostendit. Libro verò quæst. supra Exod. quæst. 71. hanc controuersiam ita decidit, vt simul rationes solidas, quibus hanc distributionem probare nititur, adducat.

LX.

Eucherius qui claruit tempore Valentiniani 11. lib.
,, 3. in libros Regum, Tria sunt, inquit decalogi mandata,
,, quæ nos ad cultum diuini amoris excitant: Septem quæ
,, dilectionem proximi commendant.

LXI.

Et Beda in 20. cap. Exod. & in præfat. Psalmorum, eodem modo sanctam illam præceptorum diuinorum decadem distribuit, vt tria ad dilectionem Trinitatis pertinere: Septem verò ad amorem fraternum, quibus societas humana non læditur, affirmet, eamq; ratione ibi allata muniat.

LXII.

Quam eandem distributionem post omnes istos Petrus

trus Lombardus, Sententiarum Magister, lib. 3. dist. 37. & eum secuti Scholastici doctores, itemq; Paulus Burgensis, Glossa Ordinaria, & alij retinuerunt.

LXIII.

II. Rationes. Verùm, ne nudis autoritatibus pugnare videamur, sed vt hanc decalogi distributionem rationibus firmis & euidentibus niti intelligatur, eas in medium producamus.

LXIIII.

I. Ratio à mysterio Trinitatis. Quia igitur priore tabula, Dei qui Trinus est in personis, dilectio requiritur, haud dubiè tria in prima tabula, non plura neq; pauciora etiam præcepta constituenda erunt, quòd numero illo ternario Sacrosanctæ Trinitatis mysterium exprimatur. Quod Isidorus citante ordinaria glossa Exod. 20. ita exponit, vt primum ad Patrem, secundum ad Filium referat, Respiciens procul dubio ad mentem Augustini, quæ extat Epist. 119. & lib. 2. ad Inquisit. Ianuar. cap. 11. & lib. de X. chordis cap. 5. Et à Beda in Exod. 20. repetita est.

LXV.

Hi itaq; primo præcepto pátrem intelligi statuunt, « « vbi prohibetur coli aliqua in figmentis hominum, Dei si- « « militudo, prohibetur quoq; omnis fornicatio, & vnius « « Dei cultus requiritur: Et cum omnis creatura mutabilis « « & vanitati subiecta sit, ne quis Filium Dei λόγον, per quem « « omnia facta sunt, creaturam esse putaret, in secundo præ- « « cepto prohiberi, Ne in vanum Domini nomen accipia- « « mus: Et quia Spiritus Sanctus, cuius dono & in quo requi- « « es nobis sempiterna promittitur & tribuitur, quiq; septi- « « formis munere, diem septimum (diem quieties diuinæ) « « sanctificauit, tertio præcepto legis insinuari, quod scri- « « ptum est, de obseruatione Sabbathi. « «

LXVI.

Quod quidem Trinitatis mysterium, ne externario primæ tabulæ numero Christiani colligere possent, Rab-

bini

bini data opera quatuor capita illi tabulæ assignarunt. Et ad illud ipsum mysterium obscurandum, vel certè eneruandum, Origenes numerum & ordinem præceptorum decalogi, in Ecclesia tùm receptum, ita immutauit, vt ab antecessore Clemente dissentiret,& priori tabulæ non tria sed quatuor, sex posteriori attribueret, ne Trinitatis mysterium ternario numero indicari posset, Ipse ad Arianismum procliuis, cuius etiam semina sparsit, sicut de eo, quod Filium & Spiritum Sanctum creaturas esse docuerit, Epiphanius & alij Orthodoxi Ecclesiæ doctores testantur. Atq; ex ijs ipsis, qui iamdudum receptam & in nostris Ecclesijs etiamnum vsitatam Decalogi distributionem ita immutârunt, vt ternarium numerum in priori tabula fastidierint, quos Sacramentarios vocamus, multos in blasphema Arij & Mahometis castra transiisse, sine difficultate à nobis demonstrari posset.

LXVII.

II. Ratio, à concinno ordine cultus diuini.

Euidens quoq; concinnitatis ratio euincit, longè esse conuenientius, si triæ primæ tabulæ præcepta tribuantur. DEVS enim à toto homine colendus est. Constat autem homo anima & corpore, quorum vtroque externas operationes edit. Ex quo apparet scilicet, Deum anima & corpore & quæ ab vtroq; proficiscuntur, colendum esse, Corde inquam, quod primo: Ore seu lingua, quæ secundo: & actionibus externorum membrorum, quæ tertio præcepto instruuntur atq; informantur.

LXVIII.

Hac ratione modus Deum colendi pulcerr. ordine indicatur. Sumit enim à corde initium, qua appellatione omnes animæ vires interiores intelliguntur, videlicet, vt in mente vera Dei notitia luceat, vt voluntas sua sponte Deo addicta sit, vtq; affectus amore Dei ardeant. Deinde cultus Dei in ore & lingua se profert. Tandem vita & externis moribus se declarat.

Atq;

LXIX.

Atq; hinc tria non plura primæ tabulæ præcepta esse apparet. Quorum primum, à notitia Dei, & motibus seu affectibus voluntatis & cordis, veram Dei agnitionem comitantibus, orditur: Secundum illius agnitionis veræ & affectuum professionem requirit, & normam, ad quam omnis oratio nostra dirigatur, proponit: Tertium sancit totum ministerium, quo fit propagatio veræ agnitionis & professionis, atque externorum cultuum, quos Deus instituit.

LXX.

Hic ordo etsi tanta sapientia à Deo institutus est, vt ne quidem ab ipsis angelis satis perspici possit: tamen à pijs aliquo modo considerandus est, & cauendum, ne istàm concinnitatem turbando, ingrati erga Deum, & hanc in eo sapientiam negare velle videamur.

LXXI.

Quid? quod satis abundè constat, per Deos alienos sculptilia quoq; & imagines intelligi, rerum quæ in Dei cultum instituuntur, ad gratiam Dei & bona Spiritualia & corporalia promerendum. Idq; ex multis scripturæ locis probare non est difficile, Exod. 20. Vers. 23. & 34. Ver. 14. & 17. & Ierem. 10. Ver. 11. & passim alijs, vbi sculptilia Deos alienos vocari constat. Ex quo immota consequentia hoc extruitur, imaginum prohibitionem ad primum præceptum referendam esse. III Ratio subiecta præcepto exegesi.

LXXII.

Non quod per se impium sit imagines pingere & sculpere. Neque enim verum earum vsum improbamus, quod faciunt εἰκονόμαχοι, qui Pharisæos Hypocritas secuti, non postremam in demoliendis imaginibus, simulatæ pie-

tatis partem collocant, atq; religionem inde æstimant, si templa imaginibus prorsus vacua sint, quantumuis ad cultum seu adorationem non proponantur.

LXXIII.

Imagines igitur inter Adiaphora ponimus. Earumq; verus & legitimus vsus partim historicus est, qui ad rectius intelligendas rerum descriptiones, & iuuandam memoriam, multum momenti habet. Huius vsus exempla tùm apud Ethnicos in prōtu sunt: tùm in sacris literis, Gen. 28. Ver. 18. de lapide à Iacobo in titulum erecto. Ios. 4. Ver. 6. de duodecim lapidibus, qui essent memoriale trāsitus populi per Iordanem. Ios. 22. Ver. 10. de ara à tribubus duab. & dimidia in eiusdem religionis monumentum extructa. 1. Sam. 19. Ver. 13. de statua Dauidis à Michol in lectum posita. Atq; hoc fine picturas in libris & in templis retinemus. Huc Typicus imaginum vsus commodè referri potest, rerum scilicet futurarum quædam adumbratio. Vt: Aeneus serpens Num. 21. Ve. 9. Christū adumbrabat Ioh. 3. Ver. 14. quem vltra septingentos annos in populo Israël seruatum constat, donec superstitiosus adorationis cultus accederet, tùm enim ab Ezechia contritus est. 4. Reg. 18. Ver. 4.

LXXIIII.

Partim vsus imaginum Symbolicus est, qui nos de re, quæ imagine repræsentatur, admonet, politico fine. Vt imago in moneta Cæsaris, Iudæos admonebat, quod ipsius esset moneta, & quod Cæsari subiecti essent. Quem vsum Christus probat, Matth. 22. Ver. 21.

LXXV.

Partim ornatus gratia imaginibus vtimur. Qualis fine reprehensione fuit in templo Solomonis. Duo Cherubin, 3. Reg. 6. Ver. 23. & variæ cælaturæ, Ve. 35. & lapides politi, Ver. 36. & cap. 7. Ver. 24. varia sculptura. Itemq; Ver. 25. duodecim boues &c.

Abusus

LXXVI.

Abusus verò imaginum si necessitas ea pingendi, habendi, & retinendi in templis, tanquam partem non postremam religionis pietatis, & cultus diuini, hominum conscientijs imponatur, primo præcepto prohibetur. Quæ prohibitio, de non fingendis & nô adorandis sculptilibus, copulatiuè intelligenda est, quod Leuit. 26. Ver. 1. disertè his verbis ostenditur: Non facietis vobis idolum sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, AD ADORANDVM. Qua in re Pontificij εἰκονολάτραι horribilem suam superstitionem, Verbo Dei apertè repugnantem, manifestè produnt.

LXXVII.

Sed de imaginibus, volente Deo, disputatione peculiari, tùm contra εἰκονομάχους, tùm contra εἰκονολάτρας, agetur. Hoc nunc demonstrasse sufficiat, sculptilium & imaginum superstitiosarum prohibitionem primo præcepto comprehensam, & vberioris explicationis gratia additam quandam veluti appendicem esse.

LXXVIII.

Vidit hoc doctiss. ille August. lib. quæst. super Exod. quæst. 71. Vbi his verbis vtitur: Reuera quod dictum est, "non erunt tibi Dij alij præter me, hoc ipsum perfectius "explicatur, cum prohibentur colenda figmenta. Et mox: "Illud autem vbi dictum est: Non erunt tibi Dij alij præter "me, apparet, huius rei diligentiorem executionem esse in "his, quæ subiecta sunt. Quò enim pertinet: Non facies tibi "idolum, neq; simulachra &c. nisi ad id, quod dictum est: "Non erunt tibi Dij alij præter me? Et quæst. 76. expo- "nens versiculum 23. cap. 20. Exod. quo Dij argentei & "aurei prohibentur, His verbis repeti ait id, quod in primo "inculcatum fuerit, & per Deos alienos omnia simulachra "intelligi. "

LXXIX.

IIII. Ratio à summa & ordine comminationis & promiſſionis.

Denicq; de eo conſtat comminationem pœnarum & præmiorum promiſsionem ad omnia præcepta ſpectare. Vt enim pœnæ ijs qui Deum oderunt, ita præmia eum diligentibus, & mandata illius ſeruantibus propoſita ſunt. Quæ cum ita ſeſe habeant, iſta comminatio & promiſsio, aut poſt abſolutam decalogi ſeriem ſub finem, aut certè poſt principale præceptum, à quo cæterorum dignitas pendet, vt videlicet illi, reliquorum omnium veluti principio & fini maior inde autoritas accedat, collocanda fuit.

LXXX.

Conſtat verò inter omnes, ex reliquis decalogi præceptis vniuerſis, primum vtpote cæterorum omniũ fontem & caput, principale eſſe. Hoc igitur præceptum grauiſsima iſta comminatio cum dulciſsima promiſsione coniuncta conſequatur neceſſe eſt. Ad quem ſanè modum verba cõminationis primo præcepto annexa reperiuntur, Exod. 34. Ver. 14. Noli adorare Deum alienum: Dominus Zelotes nomen eius, Deus & æmulator. Vnde concludimus, cum verba illa comminationis & promiſsionis diuinæ, ante præceptum de non aſſumendo in vanum nomine domini, poſita extent, Illud ipſum præceptum, ſecundum locum obtinere, & quicquid antecedit, tàm de Dijs alienis, quàm de ſculptilibus, ad primum præceptum referendum eſſe.

LXXXI.

Quod ſi verò iuxta illos primum præceptum in duo diſcerpendum eſſet, conſequeretur ſcilicet comminationem & promiſsionem neq; ad primum præceptum, quod tamen cæterorum fons eſt, neq; ad reliqua, ſed ad ſecundum ſaltem pertinere. Quod tantum abeſt, veritati conforme videri, vt contrà manifeſtè falſum deprehendatur, ſi quis verba annexæ comminationis & promiſsionis ſtudio accuratæ diligentiæ inſpiciat atq; perpendat.

LXXXII.

Quod ſi igitur, vt hactenus oſtendimus, præcepta priori tabulæ tria ſaltem attribuenda ſunt, poſteriori ſeptem aſsignari

assignari necesse erit, vt denarius numerus impleri possit.

LXXXIII.

Hoc autem ita fiet, si præceptum, de non concupiscendo, in duo distinguatur. Quorum alterum, nonum videlicet, de non concupiscenda domo, in genere concupiscentiam prohibet, & de rebus immobilibus atq; continentibus agit: Decimum verò, in specie concupiscentiam tùm personarum, tùm rerum mobilium prohibet, & de contentis intelligendum est.

LXXXIIII.

Augustinus tamen ordinem Deut. 5. Vers. 21. præscriptum, & versionem Septuaginta interpretum, in cap. 20. Exod. & cap. 5. Deuter. secutus, in nono præcepto concupiscentiam vxoris: In decimo domus prohiberi, ait. li. de conuen. X. præc. & X. plag. ca. 9. & 10. & li. de X. chordis cap. 6. & lib. 15. contra Faust. cap. 7. Quæ ita inter se distincta sint, quemadmodum Giselbertus succincta breuitate & satis feliciter illud expresit, vt nono carnis concupiscentia, Decimo mundi cupiditas: Vel vt Lyræ videtur, Nono concupiscentia boni iucundi & delectabilis: Decimo boni vtilis, prohibeatur.

LXXXV.

Et cur obsecro binis vicibus verba hæc: NON CONCVPISCES, repeterentur, & quidem non vno in loco sed tum Exod. 20. Ver. 17. tùm Deut. 5. Ver. 21. nisi distincta præcepta, ea constituerent?

LXXXVI.

Idq; ex cap. 5. Deuter. Ver. 21. patet, vbi (quod suprà quoq; attigimus) & incisuræ & principij notæ decimum à nono ita distinguunt, vt duo illa esse præcepta, non vnum, luce meridiana, quod dicitur, clarius appareat.

LXXXVII.

Deniq; cum de primæ tabulæ numero ternario, satis abundè constet: Profectò eò minus de septenario secundæ tabulæ laborandum erit, cum per se manifestum fiat, eum numerum, septenarium inquam, posteriori tabulæ necessariò attribuendum esse, vt δίκα λόγων veritas consistere possit.

LXXXVIII.

Quod si verò ea quorundam est curiositas, non etiam nullorum peruersitas, vt omnia ad viuum resecando, atq; semel animo conceptam opinionem pertinaciter tuendo, rationibus adductis sibi satisfieri non patiantur, Ideoq; hanc noni atq; decimi præcepti distinctionem, qua simplici & pio studio in nostris Ecclesijs vtimur, supercilioſè repudient: Illi sciant, sufficere nobis modò adductam præceptorum de concupiscentia distinctionem, neq; nos scrupulosè de eo quærere aut magnopere solicitos esse, quî præcepta illa, ratione alia quàm quæ in mediũ à nobis adducta est, exactiore atq; accuratiore, distinguj possint. Meminerint quoq; sese ad rationes superiores à nobis remitti, quibus numerum ternarium primæ tabulæ ita probatum confidimus, vt candidum iudicium vsurpare volentibus facilè satisfieri possit. Ex quo secundæ tabulæ septenarius spontè consequetur.

LXXXIX.

Atq; hæc est Ecclesiarum nostrarum in enumeratione præceptorum decalogi sententia, confirmata verbo Dei, autoritate præcipuorum Doctorum in Ecclesia, itemq; rationibus comprobata, à qua temerè recedendum nobis esse non putamus. Quod si quis alia ratione illa omninò enumeranda censet, cum eo non multum litigabimus.

Oramus

XC.

Oramus autem æternum Deum patrem Domini nostri Jesu Christi, vt Spiritu suo Sancto nos regat, menteſq́; nostras verum legis vſum doceat, vtq́; naturæ nostræ corruptionem veluti in Speculo agnoſcentes, ſeria pœnitentia ad DEVM *conuertamur, conformitatemq́; virium nostrarum cum legis norma, in hac vita inchoëmus, & in illa æterna conſummemus,* AMEN.

LIPSIÆ,

Imprimebat Iohannes Steinman.